



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

VII. Bischof Hermann von Camin bestätigt dem Kloster der büßenden
Schwestern in Prenzlau ein Zugeständniß des Markgrafen Johann, am 27.
November 1261.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55721)

VII. Bischof Hermann von Camin bestätigt dem Kloster der büßenden Schwestern in Prenzlau ein Zugeständniß des Markgrafen Johann, am 27. November 1261.

Hermannus, Dei gratia Episcopus ecclesie Caminensis, omnibus presentem paginam inspecturis salutem in omnium saluatore. Ad hoc Deus et Dominus noster Jesus Christus in sua ecclesia principes et gregis sui pastores constituit, ut per se operibus misericordie ac pietatis intendant, loca religiosa locupletantes cum fieri potest suo munimine et fauore. Hinc est, quod venientes ad nos dilecte in Christo filie Sanctimonialis priorissa et conuentus sororum penitencium noue ciuitatis in Primzlawe humiliter supplicarunt et deuote, quatenus priuilegium ipsis ab illustri principe Johanne Marchione Brandenburgensi pure et simpliciter propter Deum traditum et donatum super ecclesias Ciuitatis Premzlawe uidelicet beate Dei genitricis et virginis Marie Sancti Nicolai, Sancti Jacobi necnon Sancti Sabini Episcopi jam dicte noue ciuitatis de nostro consilio factum, quod asserimus et protestamur, sicut in ipso priuilegio plenius continetur et euidenter, dignemur nostre auctoritatis munimine roborare. Nos ergo earum precibus inclinati et eorum uestigii inherentes, qui iustis petitionibus pium prebere consueuerunt assensum, considerantes, eciam, quod ex dicta donacione status dictarum Sanctimonialium temporalium adiumento poterit emendari, eam auctoritate nobis a Domino tradita confirmamus, saluo tamen in omnibus iure nostro nostrorumque successorum et prepositi, qui in spiritualibus tanquam noster vicarius nostram vicem gerere comprobatur. Sub anathemate districtius inhibentes, ne quis sepe dicte donacioni nostreque confirmacioni abusu temerario se opponat vel dictas Sanctimonialis super ea audeat molestare, sicut omnipotentis Dei et Sancti Johannis baptiste cuius vicem in terra gerimus ingratitude et excommunicacionis sententiam uoluerint euitare. Datum Stetini, Anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo primo, quinto Kalendarum Decembris.

Nach Beckmann's Abschrift des Originals.

Anmerkung 3. Art. No. VII.: Einen Vergleich zwischen dem Minoriten-Kloster zu Prenzlau und der Stadt vom 25. Juli 1270 enthält Seck's Gesch. von Prenzlau I. Anh. 155. Derselbe ist jedoch vermuthlich ebenso untergeschoben, als die oben erwähnte Urkunde von 1223. Sie betrifft mit letzterer denselben Gegenstand, nämlich den Grundbesitz der Minoritenbrüder in Prenzlau und befindet sich im rathhäuslichen Archive nicht.

VIII. Die Markgrafen Johann, Otto und Conrad bestätigen der Stadt Prenzlau das Magdeburgische Stadtrecht, am 5. November 1278.

In nomine Domini Amen. Ne per defectum memorie, que provida dispositione geruntur in tempore, erroris surrepat ingenita oblivio, expedit, gesta in tempore seu gerenda testium subscriptione et literarum beneficio perhennari. Quapropter nos Johannes, Otto et Conradus, Dei gratia Brandenburgenses Marchiones, recognoscimus et protestamur presentibus, quod dilectis Burgensibus nostris ciuitatis Prinzlawie ius donauimus Magdeburgense, ita uidelicet, ut iudicent tam in